

PLATONIS, IN ARCHEANASSAM

EG_1 v.1 Archeanassa mihi meretrix Colophonia nunc est,
 2 cujus et in rugis insidet acer amor.
 3 Ah miseri a prima tetigit quos illa juventa
 4 igne suo ! Medii vos rapuere rogi.

SAPPHUS, IN TIMADEM

EG_2 v.1 Timades hic pulvis, quae dulces ante hymenaeos
 2 excepta est nigro Persephones thalamo.
 3 Illius heu fato cunctae de vertice amatam
 4 aequales ferro subsecuere comam.

INCERTI, IN HOMERUM

EG_3 v.1 Trojam canens, Homere, flammis erutam,
 2 urbes gravi livore stantes concutis.

DIOTIMI, IN HERCULEM ET ANTAEUM

EG_4 v.1 Incaluere animis dura certare palestra
 2 Neptuni quondam filius atque Jovis.
 3 Nec certamen erant operoso ex aere lebetes,
 4 sed quod vel vitam vel ferat interitum.
 5 Occidit Antaeus : Jove natum vincere fas est ;
 6 estque magistra pales Graecia non Libya.

ANONYMI, IN NIOBEM LAPIDEM

EG_5 v.1 Hoc est sepulchrum intus cadaver non habens,
 2 hoc est cadaver et sepulchrum non habens,
 3 sed est idem cadaver et sepulchrum sibi.

GAETULICI, DE ALCONE ET SERPENTE

EG_6 v.1 Vidit ut implicitum puero pater anxius anguem,
 2 intendit dubia cornua flexa manu ;
 3 inque ferae fauces calamum sic torsit, ut audax
 4 terruerit natum non minus angue senex.
 5 Sed numquam pius errat amor : puer hoste perempto
 6 salvus erat : stupuit morte dirempta salus.
 7 Victor ab hac pharetram quercu suspendit et arcum,
 8 Fortunae atque artis quae monumenta suae.

IULIANI AEGYPTII, AD FURES

EG_7 v.1 Ite alio, fures ; nulla hic occasio lucri :
 2 nam fida est custos addita pauperies.

ARCHIAE, AD HIRUNDINEM NIDIFICANTEM SUB MEDEAE STATUA

EG_8 v.1 Medeae statua est, misella hirundo,
 2 sub qua nidificas. Tuosne credas
 3 huic natos, rogo, quae suos necavit.

INCERTI, DE LECTULO MERETRICIO E LAURU

EG_9 v.1 Ut omnium fierem torus.

INCERTI, DE LAURO SECURI CAESA

EG_10 v.1 Cum Mars Daphne se miscuit,
 2 Apollo tunc ubi fuit ?

ANONYMI, IN SPEM ET NEMESIN

EG_11 v.1 Spem simul et Nemesin posita dicat Eunus in ara ;
 2 scilicet ut speres omnia, nil habeas.

INCERTI, IN OLEAM VITIBUS IMPLICATAM

EG_12 v.1 Quid me implicatis, palmites,
 2 plantam Minervae non Bromi ?
 3 Procul racemos tollite,
 4 ne, virgo, dicar ebria.

MAXIMI PLANUDIS, IN PTOLEMAEI GEOGRAPHIAM

EG_13 v.1 Si caelum e terra spectes, caelum omne videbis ;
2 si terram e caelo, penitus tibi terra patebit :
3 nunc terram penitus cernis : caelum esse putato.

ANONYMI, IN DAPHNEN

EG_14 v.1 Complexus virides frondosae virginis artus :
2 sic quoque mutata, dixit Apollo, fruar.
3 Utque novas gusta baccas tentavit : eandem,
4 hei mihi ! servat, ait, nunc quoque amaritiam.